

VIII.

Indictio Belli, & Cruciate contra Paganos pro defensione Terræ sanctæ Hierusalem cum Indulgentiarum & privilegiorum concessione pro Cruce signatis.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei, charissimo filio Ludovico illustri & glorioso Francorum Regi, & dilectis filiis Principibus, & universis Dei Fidelibus per Galliam constitutis, salutem, & Apostolicam benedictionem.

Pone multum laboravit pro liberatione Orientalis Ecclesie.

Urbanus II. magno pro-moto exercitu Hierusalem & alias civitates expugnavit, Francorum præsertim fretus auxilio.

Sed postea eorum aliquas paginas occupavit.

Quod Christianorum animo cessit detrimendo.

Proinde Francorum Principum opem exposcit.

Quantum prædecessores nostri Romani Pontifices pro liberatione Orientalis Ecclesie laboraverunt, antiquorum relatione didicimus, & in gestis eorum scriptum reperimus. Prædecessor etenim noster felix memoriæ Papa Urbanus, tamquam tuba intonuit, & ad ipsius deliberationem Sanctæ Romanæ Ecclesie filios de diversis mundi partibus sollicitare curavit. Ad ipsius siquidem vocem Ultramontani, & præcipue Francorum Regni fortissimi & strenui Bellatores, & illi etiam de Italia, charitatis ardore succensi, convenerunt; & maximo congregato exercitu, non sine magna proprii sanguinis effusione, divino eos auxilio comitante, Civitatem illam, in qua Salvator noster pro nobis pati voluit, & gloriosum ipsius Sepulchrum, passionis suæ nobis memoriale, dimisit, & quamplures alias, quas proximitatem vitantes memorare supercedimus, a paganorum spurcicia liberarant. Quæ per gratiam Dei, & Patrum vestrorum studium, qui per intervalla temporum eas defendere, & Christianum nomen in partibus illis dilatare pro viribus studuerunt, usque ad nostra tempora a Christianis detentæ sunt, & aliæ urbes infidelium ab ipsis viriliter expugnatae. Nunc autem nostris, & ipsius populi peccatis exigentibus, quod sine magno dolore & gemitu proferre non possumus, Edifica civitas, quæ nostra lingua Rohais dicitur, quæ etiam, ut fertur, cum quondam in Oriente tota terra a paganis detineretur, ipsa sola sub Christianorum potestate Domino serviebat, ab inimicis Crucis Christi capta est, & multa Christianorum castella ab ipsis occupata, ipsius quoque civitatis Archiepiscopus cum Clericis suis, & multum Christiani ibidem interfecti sunt, & sanctorum Reliquiæ in infidelium conculcationem datæ sunt, & dispersæ. In quo quantum Ecclesie Dei, & toti Christianitati periculum imminet, & nos cognoscimus, & prudentiam vestram latere non credimus, Maximum namque nobilitatis & prohibitatis indicium fore cognoscitur, si ea, quæ patrum strenuitas acquisivit, a vobis filiis strenue defendantur. Verumtamen si, quod absit, secus contingerit, patrum fortitudo in filiis imminuta probatur. Universitatem itaque vestram in Domino commonemus, rogamus, atque præcipimus, & in peccatorum remissionem injungimus, ut, qui Dei sunt, & maxime potentiores & nobiles, viriliter accingantur, & infidelium multitudini, quæ se tempus victoriæ super nos adeptam lætatur, sic occurrere, & Ecclesiam Orientalem tantâ patrum vestrorum, ut prædiximus, sanguinis effusione ab eorum tyrannide liberatam, ita defendere, & multa captivorum millia contrarium nostrorum de ipsorum manibus eripere,

studeatis, ut Christiani nominis dignitas vestro tempore augeatur, & vestra fortitudo, quæ per universum mundum laudatur, integra & illibata servetur. Sit vobis etiam in exemplum bonus ille Matathias, qui pro paternis legibus conservandis seipsum cum filiis & parentibus suis morti exponere, & quicquid in mundo possidebat, relinquere nullatenus dubitavit, atque tandem, divino cooperante auxilio, per multos tamen labores tam ipse quam sua progenies de inimicis viriliter triumphavit. Nos autem vestrorum quieti, & ejusdem Ecclesie destitutioni paterna sollicitudine providentes, illis, qui tam sanctum tamque pernecessarium opus & laborem devotionis intuitu suscipere, & perficere decreverint, illam peccatorum remissionem, quam præfatus prædecessor noster Papa Urbanus instituit, auctoritate nobis a Deo concessa concedimus & confirmamus; atque uxores, & filios eorum, bona quoque & possessiones sub sanctæ Ecclesie, nostra etiam, & Archiepiscoporum, Episcoporum, & aliorum Prælatorum Ecclesie Dei protectione manere decernimus. Auctoritate etiam Apostolica prohibemus, ut de omnibus, quæ cum Cruce accepert, quiete possederint, nulla deinceps questio moveatur, donec de ipsorum reditu vel obitu certissimè cognoscatur. Præterea, quoniam illi, qui Domino militant, nequaquam in vestibus pretiosis, nec cultu forma, pec canibus vel accipitribus, vel aliis, quæ portantur lasciviam, debent intendere, prudentiam vestram in Domino commonemus, ut qui tam sanctum opus incipere decreverint, ad hæc non intendant: sed in armis, equis, & cæteris, quibus infideles expugnent, totis viribus studium & diligentiam adhibeant. Quicumque verò are premuntur alieno, & tam sanctum iter puro corde inceperint, & de præterito usuras non solvant: & si ipsi, vel alii pro eis, occasione usurarum, astricti sunt sacramento vel fide, Apostolica eos auctoritate absolvimus. Liceat eis etiam, terras sive ceteras possessiones suas (postquam feudum pertinent, pecuniam commoddare aut noluerint, aut non valuerint) Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, vel aliis quoque fidelibus, liberè, sine ulla reclamazione, impignorare. Peccatorum remissionem & absolutionem juxta præfati prædecessoris nostri institutionem, omnipotentis Dei, & beati Petri Apostolorum Principis auctoritate, nobis a Deo concessa, talem concedimus, ut qui tam sanctum iter devotè inceperint & perfecerint, sive ibidem mortuus fuerint, de omnibus peccatis suis, quibus corde contrito & humiliato confessionem susceperint, absolutionem obtineant, & sempiternæ retributionis fructum ab omnium Remuneratore percipiant.

Datum Vetrallæ, Kalendis Decembris.

Indulgentiam ab Urbano PP. concessam largitur hæc opus peractantibus.

Eorum filios, & uxores, ac bona sub protectione Sedis Apost. recipit.

Litibus post acceptam Cruce vexari prohibet.

Luxum & lasciviam vetat.

Fendalia bona certo modo impignorare permittit.

Dat. die 7. Decemb. anno Domini 1145. Pontif. anno 1.

Con-

IX.

Confirmatio bonorum omnium & privilegiorum, a summis Romanis Pontificibus Trenorciensi Monasterio concessorum.

Ex antographo editis Chiffretis in Probationibus ad historiam Monast. burgi.

Exordium.

Monasterium sub B. Petri protectione suscipiens.

Eidem bona omnia confirmat.

Exemptumque ab onere decimarum declarat.

Prædecessorum Pontificum ratam habet definitionem contraverse inter hos Monasterium, & alterum sancti Florentii.

Ecclesiam SS. Valeriani & Philiberti liberam ab omni seculari & ecclesiastico juro declarat.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Petro Trenorciensi Monasterii Abbati, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Um universis sanctæ Ecclesie debitoribus ex Apostolicæ Sedis auctoritate ac benevolentia existamus, illis tanquam Loeis atque personis, quæ specialius ac familiarius sanctæ Romanæ adhaerent Ecclesie, propensiori nos convenit caritatis studio immingere. Proinde, dilecti in Domino filii, vestris justis petitionibus clementer annuimus, & prædecessorum nostrorum, felicis recordationis Urbani, Paschalis, Calixti in Domino filii, vestris justis petitionibus clementer annuimus, & prædecessorum nostrorum, felicis recordationis Urbani, Paschalis, Calixti, Innocentii, & Lucii, Romanorum Pontificum, vestigiis inherentes, Trenorciense Monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quascumque bona idem Monasterium impræsentiarum justè & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis justis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus, & illibata permaneant. Præterea ad exemplar præfati prædecessoris nostri beate memoriæ Pape Calixti, presentis decreti auctoritate statuimus, ut nulli deinceps Episcoporum facultas sit, pro Altaribus & Ecclesiis, sive decimis, vel etiam omnibus ad hæc ritè pertinentibus, quæ ante interdicta antecessoris nostri sanctæ memoriæ Urbani Pape vobis cognita posseditis, seu post Episcoporum concessione acquisitis, gravamen aliquod irrogare; sed, sicut eorum permissione quædam ex integro habuistis, ita & in futurum perenniter habeatis. Ipsarum quoque, quas nunc habetis, Ecclesiarum decimas, & quæ laicis obtinentur, si eorum potestati subtrahere vestre religionis reverentia potuerit, ad vestram, ac pauperum subventionem vobis liceat possidere. Sanè definitionem inter vestrum, & beati Florentii Monasterium, de Ecclesiis Laurentii, sancte Crucis videlicet, & sancti Nicolai, sicut a jam dictis prædecessoribus nostris felicis memoriæ Urbani atque Calixti facta est, & scripto eorum firmata, Sedis Apostolicæ auctoritate firmamus; præcipientes, quatenus deinceps nulla vobis vel Ecclesie vestre molestiam Monachi sancti Florentii ex his inferre presument; sed absque eorum inquietudine, præfatas Ecclesias vos vestrique successores perpetuò possideatis. Ad hoc adjicimus, ut idem Locus, in quo beati Valeriani Martyris, & sancti Philiberti Confessoris corpora requiescunt, ab omni jugo secularis potestatis liber in perpetuum conservetur. Nec Episcopo liceat cujuscumque diocesis, eumdem Locum excommunicationis, vel absolutionis, seu cujuslibet dispositionis occasionibus perturbare: aut Cruces, seu qualeslibet exactiones novas Burgo & cæteris Monasterii possessionibus irrogare. Missas

quoque in eodem Monasterio publicas celebrari, vel stationem ab Episcopo, præter Abbatis vel fratrum voluntatem, fieri prohibemus, sicut a prædecessoribus nostris statutum est; & scripto eorum firmatum. Obeunte verò te, nunc ejusdem Locum Abbate, vel tuorum quolibet successorum, nullus ibi qualibet surreptionis astutia seu violentia præponatur, nisi quem fratres communi consensu, vel pars consilii sanioris, secundum Deum, & beati Benedicti regulam providerint eligendum, a Sedis Apostolicæ Pontifice, vel ejus Legato consecrandum. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, præfatum Monasterium temerè perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuerè, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ nimirum in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularisque persona, hujus nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temerè venire tentaverit, secundò tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat: Cunctis autem eidem loco justa servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen. Amen. Amen.

- EGO EUGENIUS Catholicæ Ecclesie Episcopus subscripsi.
- Ego Conradus Sabinen. Episcopus ss.
- Ego Albericus Episc. ss.
- Ego Gregorius Presb. Card. tit. sancti Callisti subscripsi.
- Ego Ubalduus Presbyter Cardinalis, tituli sanctæ Praxedis ss.
- Ego Nicolaus Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Crucis ss.
- Ego Ubalduus Presbyter Cardinalis tit. S. Crucis in Hierusalem ss.
- Ego Otto Diaconus Cardinalis sancti Georgii ad Velum aureum ss.
- Ego Octavianus Diaconus Cardinalis sancti Nicolai in Carcere Tulliano ss.
- Ego Gregorius Diaconus Cardinalis sancti Angeli subscripsi.
- Ego Astalduus Diaconus Cardinalis sancti Eustachii juxta templum Agrippæ ss.
- Ego Guido Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Porticu ss.
- Ego Jacintus Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Cosmedin ss.
- Ego Petrus Diaconus Cardinalis sanctæ Mariæ in Via lata ss.
- Datum Laterani, per manum Roberti Sanctæ Romanæ Ecclesie Presbyteri Cardinalis, & Cancellarii, V. Idus Januarii. Indictione IX. Incarnationis Dominicæ anno MCXLV. Pontificatus verò Domini Eugenii III. Pape anno I.

Abbatis electionem Monachis fieri jubet.

Solite clausula.

Eugenius PP.

& S. R. Eccl. Cardd. subscriptiones.

Dat. die 9. Januarii anno Domini 1146. Pontif. anno I. leg. mclv.

Con-



X.

Confirmatio fundationis Ecclesie S. Zenonis in Hallen. per Conradum Archiepiscopum Salisburgen. honorumque omnium ei datorum, & que in futurum poterit acquirere.

Ex Hundi... Salisburg. 26. III.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Lanzoni Hallensi Preposito, ejusque fratribus tam presentibus quam futuris regularem vitam professis, in perpetuum.

Exordium.

Quoties illud a nobis petitur, quod Religionis & honestati convenire monstratur, animo nos decet libenti concedere, & petentium desideriis congruum imperitari suffragium. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis petitionibus clementer annuimus, & predecessoris nostri felicitis recordationis PP. Lucii vestigiis inhaerentes, prefatam Hallensem Ecclesiam, in qua divino mancipati estis obsequio, sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut in eadem Ecclesia, prout venerabilis frater noster Conr. Salisburgensis Archiepiscopus ordinavit, & scripto suo firmavit, Ordo Canonice secundum B. Augustini regulam perpetuis temporibus inviolabiliter conservetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona impresentiarum iuste & canonicè possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, firma vobis vestrisque successoribus & illibata permaneant; In quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis: Decimalem solum, prædium quod nominatur Suvant, cum omnibus appendiciis ad hoc pertinentibus, quod prædictus Archiep. præfata Ecclesie tribuit, Aquam in fonte Halla, quam dedit Ebo, aquam quam dedit Facco, prædium quod dedit Sigiboto Occheim, prædium quod dedit Henr. Nutzpoum. Sane laborum vestrorum, quos propriis manibus aut sumptibus colitis, sive de nutrimentis vestrorum animalium nullus omnino clericus sive laicus a vobis decimas exigere præsumat. Interdicimus etiam ut nemini, professionis vestre facultas sit, alicujus levitatis instinctu, vel arctioris Religionis obtentu, sine Prepositi vel Congregationis licentia de claustris discedere; quod si discesserit, nullus Episcoporum, nullus Abbatum, nullus Monachorum, sine communium litterarum cautione illum suscipiat, quamdiu videlicet in Ecclesia vestra Canonici Ordinis tenor, Domino præstante, vigerit; Si vero secundò tertiove vocatus, redire contempserit, liceat ejusdem loci Preposito, vel ad alterius Ecclesie regimen transeunte, sive quolibet tuorum successorum, nullus ibi qualibet surreptionis auctoria seu violentia substituat vel preponatur, nisi quem fratres communi consensu, aut pars consilii sanioris, secundum Dei timorem, & B. Augustini regulam canonicè providerint eligendum. Sepulturam quoque ipsius loci liberam esse concedimus, ut qui se illic sepeliri deliberaverint, eorum devotioni, & extreme voluntati nullus obstet, nisi forte fuerint excommunicati, salvâ tamen iustitiâ matris Ecclesie sue. Porro cappellas, que infra ter-

Ratum habet privilegium, huic Ecclesie a Lucio PP. II. concessum.

Regulam sancti Augustini inibi servari mandavit.

Bonaque omnia eidem confirmat.

Decimas laborum ab eis cuilibet persona solvi vetat. Preposito jus omne concedit super Monachos, sine ejus licentia de claustris discedentes.

Sepulturam in ea Ecclesia liberam fore decernit.

minos parochialis Ecclesie fundata sunt, vel imposterum, Deo favente, fundabuntur, regimini & juri vestro confirmamus; & ne aliquis clericus sine concessione vestra eas teneat, vel contra interdictionem vestram in eis ministret, apostolica auctoritate prohibemus, sicut jam dicti predecessoris nostri B. memorie Pape Lucii privilegio prohibuit esse dignoscitur. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, prefatam Ecclesiam temere perturbare, aut ejus bona vel possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire, seu quibuslibet indebitis exactionibus vel molestiis fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate, & Salisburgensis Archiepiscopi canonicâ iustitiâ. Si qua igitur in futurum ecclesiastica secularive persona, hujus nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundò tertiove commonita, nisi reatum suum congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore & Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtè ultioni subjaceat; Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia eterne pacis inveniant. Amen.

Datum Transtiberim per manus Roberti S. R. E. Presb. Card. & Cancell. V. Kal. Februarii. Indictione IX. Incarnationis Dominicæ anno MCXLVI. Pontificatus vero Domini Eugenii Pape III. anno I.

XI.

Confirmatio bonorum omnium, ac libertatum Monasterii Nantuacensis, quod Cluniacensi Abbati subiectum declaratur.

Eugenius Episcopus, Servus Servorum Dei, dilectis filiis, Priori Nantuacensis Monasterii, ejusque fratribus tam presentibus, quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuum.

Apostolici moderaminis clementie convenit, Religiosos diligere, & eorum loca pia protectione munire; dignum namque, & honestati conveniens esse cognoscitur, ut qui ad Ecclesiarum regimen assumpti sumus, eas & a pravorum hominum nequitia tueamur, & Apostolicæ Sedis patrocinio foveamus. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris iustis petitionibus clementer annuimus, & prefatum Monasterium, in quo divino mancipati estis obsequio, ad exemplar predecessoris nostri felicitis memorie Pape Lucii, sub beati Petri & nostra protectione suscipimus, & presentis scripti privilegio communimus; Statuentes, ut quascumque possessiones, quæcumque bona idem Monasterium impresentiarum iuste & canonicè possidet, aut in futurum concessione Pontificum, liberalitate Regum, largitione Principum, oblatione fidelium, seu aliis iustis modis, præstante Domino, poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus.

Solita clausula.

Dat. die 18. Januarii anno Dom. 1146. Pontif. an. 1.

Edidit ex Archiv. Monast. hujus S. Gualtheri in prædicationibus Historie Brevia & Beugetse.

Exordium.

Monasterium sub Apost. protectione suscipit.

Bonaque omnia ad illud pertinentia confirmat.

Exordium.

foribus, & illibata permaneant; In quibus huc propriis duximus exprimenda vocabulis: Pomerium, Trefortium, Catorum, Trevogias, Rumiliacum, Calinum, Cintriacum, Calargias, Talussiacum, Mazerias, Breynodum, S. Albanum, S. Martinum de Fraxino, Villeram juxta Ambroinacum, S. Germanum de Valle-bona, Buencum, Lovennam, Ardunum, Astinenum, villam juxta Gebennas, S. Martinum de Veretalia, Serveriacum. Prohibemus quoque, & apostolica auctoritate interdiciamus, ut infra terminos ipsius Monasterii, videlicet S. Martinum, Salas, Senochias, Carisum, Lacum Silani, Poistum, quemadmodum a venerabili fratre nostro Amedeo Lugdunensi Archiepiscopo, Apostolicæ Sedis Legato, rationabili providentia statutum & prohibitum est, nullus hominem capere vel invadere, sive assultum vel quamlibet offensam facere, præsumat. Monasterium vero ipsum cum cappella S. Michaelis, que infra ipsum Cœmeterium sita est, in ea libertate manere sancimus; que a beato Gregorio sibi concessa est, & in qua per sexaginta annos quietè fuisse dignoscitur; in obedientia autem & dispositione Cluniacensis Abbatis, & Monasterii, tam locus ipse quam fratres perpetuò maneat. Decernimus ergo, ut nulli omnino hominum liceat, prefatum Monasterium temere perturbare, aut ejus possessiones auferre, vel ablatas retinere, minuire, seu quibuslibet vexationibus fatigare; sed omnia integra conserventur, eorum, pro quorum gubernatione & sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura: salvâ Sedis Apostolicæ auctoritate, & Diocesanii Episcopi canonici iustitiâ. Si qua ergo ecclesiastica in futurum secularive persone, hujus nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit, secundò tertiove commonita, nisi reatum suum congruè satisfaciendo correxerit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, & a sacratissimo Corpore ac Sanguine Dei & Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtè ultioni subjaceat; Cunctis autem eidem loco iusta servantibus sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus & hic fructum bonæ actionis percipiant, & apud districtum Judicem præmia eterne pacis inveniant. Amen.

Libertatem, quam ei a S. Gregorio concessam dicit, ratam habet.

Ipsum verò Abbati subiecti Cluniacensis.

Solita conclusiones.

Datum die 9. Februarii anno Dom. 1146. Pontif. an. 1. leg. MCXLVI.

Ex Biblioth. Clunias Martini 1386.

Exordium.

men personis, atque Locis, maxime quæ Sedi Apostolicæ semper specialius ac devotius adhererunt, quæque ampliori Religione eminent, propensiori nos convenit charitatis studio imminere. Predecessores liquidem nostri sanctæ recordationis, Joannes videlicet XI. item Joannes XIX. Agapitius, Benedictus VI. Item Benedictus VII. Leo VII. Alexander II. Stephanus, Victor III. Urbanus II. Paschalis II. Gelasius II. Calixtus II. Honorius II. Lucius II. Ecclesie Romanæ Pontifices, Cluniacense Monasterium singularis dilectionis, ac libertatis prærogativa donarunt, & universa ei pertinentia privilegiorum suorum sanctionibus muniverunt. Quorum nos vestigiis inherentes statuimus, ut Ecclesie omnes, cimitæria, Monachi, Clerici, & laici universi infra terminos habitantes, qui sunt a rivo de Salnay, & ab Ecclesia Rusiaci, & Cruce de Lornant: a termino quoque molendini de Tornefac, per Villam, que dicitur Warena, cum nemore Bruferio: a termino etiam, qui dicitur Perrois ad rivum usque de Salnay, sub Apostolicæ tantum Sedis jure ac tuitione permaneant. Neque ipsius Cluniacensis loci Presbyteri, aut etiam Parochiani, ad cuiuslibet, nisi Rom. Pontificis, & Cluniac. Abbatis cogantur ire synodum vel conventum. Sane pro Abbatis, Monachorum, seu Clericorum, infra prædictos terminos habitantium, ordinatione, pro Chrismatibus consecratione, pro sacri Olei, Ecclesiarum, Altarium, & Cimiteriorum consecratione, Cluniacense Monasterium, quem maluerit, Antistitem convocet. Cluniacenses Monachos, ubilibet habitantes, nullus omnino, præter Romanum Pontificem, & Legatum, qui missus ad hoc fuerit, excommunicet aut interdicit. Sane terminos immunitatis loci vestri, qui a præfato antecessore nostro Urbano Papa constituti sunt, presentis decreti nostri paginâ confirmamus; Ne videlicet ullus homo cuiuscumque conditionis ac potestatis, invasionem, prædam, aut rapinam facere, sive homicidium perpetrare præsumat infra ipsorum limites terminorum. Itaque termini sacri banni sunt hi: Versus Berziacum terminus est ad bivium citra Sarratam, unde una venit ad Cluniacum, altera ad Massilias: In strata versus Belunioicum terminus est contra Quarrujum, quod est desuper molendinum Cellararii Cluniacensis, citra Viengias ultra Cluniacum: Versus Massilias terminus est ad summitatem Defensi ad bivium, unde una via tendit ad Berzoniacum, altera ad Carellam: Versus Sergiacum terminus est intra Quarruicium, citra locum, ubi dicunt ad Turgum: In strata versus Cabilonensem pagum terminus est ad grossam Cassianam super Marziacum: Versus Bracedunum terminus est in via super boscum Bannedum: Versus Trenorchium terminus est super rivulum, quem dicunt Longamaquum, intra Bannoscum & Donziacum: Versus Perronam vel Laysiacum terminus est ad Tres-fagos, ubi partiuntur vester boscus de Cluniaco, & boscus Comitatus: Versus Ligiacum terminus est ad Carnos super Montem-edium. In Abbatibus, que cum suis Abbatibus ordinationi Cluniacensis Monasterii date sunt, videlicet S. Martialis Lemovicensis, S. Eparci Engolismensis, Monasterii Novi Pistavis, S. Joannis Angeliacensis, Monasterii Lesatenis, Moysiacensis, Figiacensis in Caturcensi pago: In Avernia, Massiacensis, Tiercensis: In Antiodorensi sancti Ger-

Monasterium Cluniacense privilegis donatum a Rom. Pontificibus.

Soliusque Apost. Sedis jurisdictioni cum omnibus ad illud pertinentibus subiectum.

Excluso quoque omni episcopali jure.

In locis Monasterii prioris secundum terminos qui hic describuntur.

In his Abbatibus non eligantur nisi Abbates, nisi habito prius consensu Abbatis Cluniacensis.